




# PALAESTRA LATINA



## S U M M A R I U M

ANNUS VERGILIANUS: (T. Planas).

CARMEN GRATULATORIUM: (H. Martija).

GRAMATICALIA: (J. Llobera).

COMMERCIIUM EPISPOLARE.

CURSUS GYMNASTICUS: (M. López).

NOVA ET VETERA: Latrunculorum ludus.

(I. González).

CONLOQUIA IN SCHOLA.

ADNOTATIONES RETHORICAE: (H. Martija).

DIES OCCIDUUS: (J. Giral).

EXERCITATIONES SCHOLARES.

PER ORBEM.

RESPONSORIUM.

BIBLIOGRAPHIA: (E. Jové, et D. Ruiz).

*In operculis:* Ludite in PALAESTRA, pueri!

# Ludite in PALAESTRA, pueri!

## La comedia del mundo

Ninguna comparación hay que más al vivo nos presente lo que somos, (1) y lo que hemos de ser, (1) como la comedia y los comediantes. Si no díme: (2) ¿no has visto tú representar alguna comedia, (3) adonde se introducen reyes, emperadores y pontífices, caballeros, damas y otros diversos personajes? Uno hace (4) el embustero, éste el mercader, aquél el soldado, otro el simple discreto; y acaba la comedia y desnudándose de los vestidos de ella, quedan los recitantes iguales.—Sí, (5) he visto,—respondió Sancho.—Pues lo mismo, dijo D. Quijote, acontece en la comedia y trato de este mundo, donde unos hacen los emperadores, otros los pontífices, y otros finalmente todas cuantas figuras se puedan introducir (6) en una comedia; pero en llegando al fin, que es cuando se acaba la vida, a todos, les quita la muerte las ropas (7) que los diferenciaban y quedan iguales en la sepultura.

(1) *Qué seamos y qué hayamos de ser.* (2) *Quid autem.* (3) *fabula.* (4) *agere.* (5) *admodum.* (6) *inducio.* (7) *vertes.*

## Die Lehre Senekas

Der Lehre Senekas eigentümlich ist die Bedeutung (1), welche das religiöse Moment (2) im Verhältnis (3) zum philosophischen für ihn gewonnen hat; sein Unterschied von seinem Vorgänger ist nur ein quantitativer. Dass aber die religiöse Berachtungsweise bei ihm diese Grösse der Stärke erlangt, werden wir teils aus der praktisch populären (4) Haltung (5) seiner Philosophie, teils aus jenem lebhaften Gefühl (6) der menschlichen Schwäche und Unvollkommenheit herzuleiten (7) haben, welche ihn naturgemäß weisen, den das sittliche Leben (8) des Menschen in dem Glauben an die

Gottheit und an ihr Warten in der Welt und im menschlichen Geiste findet. Übrigens fasst Seneka die Religion rein auf; frei steht (9) er nicht bloss über dem Glauben des Volks sondern auch über den Täuschungen stoischer Orthodixie (falsche und verknöcherte Lehre.) Die Veilheit der Götter löst sich ihm in die Einheit des göttlichen Wesens, die äusserliche Gottesverehrung (10) in den geistigen Kultus der Erkenntnis Gottes und die Nachahmung seiner sittlichen Vollkommenheit auf.

(1) *Specto.* (2) *res.* (3) *magis, quam.* (4) *vulgaris, vitae usus.* (5) *adcommodore studeo.* (6) *sentio atque intellego.* (7) *Inde proficisci tr.* (8) *studia et mores.* (9) *adhorreo.* (10) *inani rituum cultus.*

## Todos ricos

La vida material (1) en España (3) es la más barata (3) del mundo; (4) el carácter nacional (5) es sobrio como ninguno. (6) A excepción de los árabes, no hay seres humanos (7) más sobrios que los españoles. Desde el general Martínez Campos, que, (según) dicen, vivía en campaña con un pedazo de pan y otro de queso, (8) hasta el peón de albañil que come su cocido (9) y bebe un vaso de agua, todo el mundo sabe pasarse (10) de lo superfluo que es otro género de riqueza. Hay ricos fastuosos, mesas de primer orden en las casas (11) grandes, pero éstas son excepciones. (12)

La masa de la nación (13) vive de cualquier modo. Y un país (14) que se contenta con poco (15) es y será siempre un país dispuesto (16) para todo.

(1) *Victus.* (2) *entre los españoles.* (3) *vale menos.* (4) *quam apud ceteras gentes.* (5) *popularis.* (6) *quam qui (quae, quod) maxime.* (7) *nullum est hominum genus.* (8) *panis frustro ac casei.* (9) *testuacium.* (10) *abstinere (se).* (11) *aedes ampliae.* (12) *in exceptione.* (13) *populi magnam partem;* (así) como *suj.* adverbial de la oración. (14) *terra autem ubi.* (15) *vivitur parvo bene.* (16) *comparata ad.*



## MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CER VERA (Lérida) - Universidad - España.

## ANNUS VERGILIANUS <sup>(1)</sup>

I.I

### **Pompejus et Crassus anno 70 consules**

In articulo superiore Pompejum et Crassum ad supremam designatos dignitatem reliquimus. De utroque pauca.

Pompejus, nobilius ortus parentibus anno a. Ch. 106, juvenis nomen militiae dedit patris sub mandato. Quinque et viginti annos natus bellum in Africa paravit perfecitque: cuius gesta miratus eique subinvidens Sulla exercitum dimittere jussit et in Urbem venire. Hanc dictatoris ordinationem haudquaquam milites probaverunt; Pompejus nihilominus mandato Sullae obtemperavit. Ea sese habendi ratio adeo placuit Sullae ut Pompejo Romam ingredienti obviam iret eumque «magnum» vocaret. Tunc junior Dux triumphi rogat honores, ac recusanti Sullae mira libertate respondit: «Animadverte, Sulla, orientem solem magis excoli et adorari quam occidentem»: eapropter triumphum egit copia elephantorum, quos ex Africa secum attulerat, coruscantem. Ex eo tempore omnium oculi in eum solem orientem defixi mansere, sollemniter tam cito in meridie micaturum. Alias praeterea Pompejus mirationem populique sibi comparavit amorem: namque expletis militiae curriculis, cum de suo munere rationem

(1) Cfr. n. 4, m. Januario p. 50

reddere cogeretur, sciscitatus an omnibus praeliis lege praescriptis adstiterit, cujusque sub ordine ducis: «Cuncta, inquit, sub mei ipsius imperio patravi.»

Pompeji sive in civili re sive in militari sese gerendi ratio summa apud scriptores contentione utrinque ponderata est, ac dum alii eum prorsus neglegunt et bona sorte donatum appellare solent, alii e contra laudibus in caelum usque extollunt, neque ullum alium tot splendoribus ornatum in caelo militiae enitusse credunt. Utrique tamen, priusquam Caesar «Romanorum maximus»—ut clarissimus scriptor habet,—bellica gloria floreret, Pompejum existimant summum sui temporis virum qui auctoritate, tenacitate, virtute tres valuit orbes, de iis triumphans, subigere, Urbisque dominatum et bracchii robore et invincibili potentia duplicare.

Bellum Sparthacium extinxit Crassus, dives ille perinlustris, qui in eo suam perhibuit militaris virtutis copiam atque divitias: namque renuentibus omnibus praeturam, ut ne in Sparthacum mitterentur, ejus enim victiarum pavor fere omnes pervaserat, sua effecit industria quoque claro nomine ut ad ipsius vocem octo circiter legiones congregarentur. In quodam pae!io unum ex ducibus servilis exercitus cum 10.000 militum prostravit; postea, Sparthacum prope Rhegii paeninsulam, quo a quibusdam Cilicis nautis inlusus confugerat a quibus ut in Siciliam duceretur postulaverat, moenii circumsaepiit. A Sparthaco Crassi opus inridebatur, at ubi brevi periculum inminens novit ac fugae se dare cupiit, inrumpit in eum Crassus ac duodecim hominum milia necat; novissime posthac pugnatum est et in pugna cum omni fere gente strenuus servorum dux interiit.

Fuit igitur M. L. Crassus dux insignis, Sullae cum primis studiosus, quem hic in Romam, conpulit.

Militaribus virtutibus vitia quaedam commiscebantur, quorum caput aviditas; eaque de causa «famam ex aviditate sibi comparatam cetera vitia occuluisse» scribit Plutarchus. Weiss ita eum magnis calamis tractibus depingit: «Crassus vir erat excultus, probabilis orator, patronus facilis, populo et humanitate et grata indole carus». In primo triumviratu locum habuit, atque in altero consulatu Pompeji iterum exstitit conlega. Victoriae Caesaris in Gallia ardorem bellicum in eo accenderunt, quem ut foveret et satiaret, vehementi cupiditate in Asiae provinciam profectus est et Parthos debellaturus et sibi in posteritatem nomen adepturus. Hic tamen insidiose proditus in barbarorum manus incidit, qui eum misserrime trucidarunt: obtruncatum caput protagoniae vices gessit in comoedia intra Parthorum civitatem principem quae ad victoris exercitus adventum fuit habita. Tantum vero facinus ex adversa fortuna non existimandum est, prout merito advertit Plutarchus. Quod si bene successisset Crassum Alexandri Magni similem historia praebuisset.

Ambitiosus igitur Pompejus avidusque Crassus, ambo simul anno 70 Reipublicae fuere duces. Eorum autem gesta ad proximum numerum.

THOMAS M. PLANAS, C. M. F.

Cervariae.

## Carmen Gratulatorium<sup>(1)</sup>

Aurea mithra decorate Praesul,  
Quo nimis gaudet Patre Barcinona,  
Cui datae claves aperire doctae  
Atria caeli.

Quot tibi fruges operum bonorum  
Fertilis fundit Catalauna tellus,  
Creditos dum tu, pie Pastor, agnos  
Dogmate pascis.

Quis tui verbi referat triumphos  
Cum doces Christi populum salutem  
Praedicans vitae documenta divo  
Flamine motus?

Inprobus non te labor hinc laccedit  
Non dioecesis satis est in oras  
Progredi, nostram, stimulante Christo,  
Advenis urbem.

En tuo adventu studiosa gestit  
Civitas Cervaria, cuius adstant  
Hic boni cives tibi corde grato  
Fausta precantes;

Gaudet invicti Claret alma proles,  
Fervida exultat juvenum corona  
Quos modo Christo rite consecrasti  
Ordine sacro.

Nunc, mei fratres, pia vox amoris  
Praesuli inlustri sonet ampla: «Salve  
O sacer Princeps» iterumque mecum  
Dicite: «Salvel!»

Henricus MARTIJA, C. M. F.

(1) Exmo. atque ilmo. Dri. Domino Emmanueli Irurita, Episcopo Barcinonensi hoc carmen dicavit poëta cum aedes nostras Cervarienses occasione Festi Sanctissimi Mysterii invisit, quibus diebus primam etiam tonsuram atque ordines minores pluribus alumnis benignissime impertivit.

## GRAMMATICALIA<sup>(1)</sup>

*Utrum in hoc dicto Tulliano Quod (ingenium meum)  
sentio quam sit exiguum pronomen relativum in  
nominandi casu sit, an in accusandi*

Venit primum ad vos, optimi palaestritae, non doctor Latinitatis qui in nostris exterarumve gentium Academiis abditas humaniorum litterarum abstrusasque notiones tradiderit declarandas, neque professus quaestiones oratorias aut poëticas, cui contigerit in Lyceis Tulliani stili Vergilianive lautitias degustare, neque Seminarii praceptor qui germanos bene recteque dicendi fontes magnae spei adulescentibus aperuerit, neque is qui auctoritatem, qua certe caret, amplificare velit; sed is tantum cui pergratum est litteris et nostris et Latinis in iis quae subobscura sunt, lucem adferre non nullam, quam sentio quantula in me sit et quam exigua. Id equidem unum doleo, quod me tempus et vires deficiant ad res perutiles Latinae linguae studiosis, quales vos estis, pertractandas, cum in manibus habeam non nullorum voluminum editionem, quae utinam vobis, palaestritae humanissimi, emolumento esse possint! His tamen occupationibus, quibus totus sum deditus, breviusculum interdum tempus subripendum curabo, vestro tam ardenti studio ut stimulos, si fieri possit, addam, meque in mea aut jam urgente aut certe adventante senectute oblectem, cum haec studia litterarum delectent domi, non impedian foris, pernoctent nobiscum, peregrinentur, rusticentur et, quod caput est, adulescentiam alant, ut Romanus orator sapientissime docet.

Quae cum ita sint, ad id quod initio proposui jam veniamus. Nota vobis est, lectores ornatissimi, M. Tullii Ciceronis *pro A. Licinio poëta* oratio, cuius hoc est principium: *Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum.* Quibus in verbis non nullis qui in studium M. Tullii incumbunt pronominis relativi casus difficultatem facessit, quem alii nominandi esse volunt, alii accusandi.

Si verborum ordinem in hac obliqua interrogatione instituemus, sic verba collocari poterunt, *quod quam sit exiguum sentio;* jam vero, ita digesta oratione, *quod esse potest sine ulla difficultate subjectum sive nominativus verbi substantivi, tota vero subjecta oratio pro accusativo est verbi sentio transitivi.* At in obliqua oratione interrogandi atque in omni objectiva oratione conjunctionali fieri potest attractio subjecti orationis secundariae ad primariam, hoc est, nominativus harum orationum subjectarum transit aliquando in ac-

(1) Lectores nostri qui Rđum, P. Josephum Llobera, S. J. ex editis operibus certo noverant, magna adficiunt laetitia, nomine ejus nostro redactorum numero addito *Quod ad nos attinet et grates privatum retulimus. et nunc publice referimus.*

cusativum verbi principis.<sup>(1)</sup> Exempla rem illustrabunt: *Scis me in quibus sim gaudiis?*<sup>(2)</sup> pro *Scis in quibus (ego) sim gaudiis?* Exemplo licet *vim rei, qualis et quanta sit cognoscamus,*<sup>(3)</sup> pro *Exemplo licet qualis et quanta si vis rei cognoscamus.* - Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa.... *videor posse dicere quo modo facta sint,*<sup>(4)</sup> pro *Nam sanguis, bilis.... quo modo facta sint videor posse dicere.* Illud vero Caelii apud Tullium singulare est, ubi modo accusativum, modo nominativum: *Nosti Marcellum quam tardus et parum efficax sit, itemque Servius quam cunctator.*<sup>(5)</sup> Missa facio Latina exempla orationum reliquarum, agimus enim de obliqua quaestione: unum tamen alterumve obferam nostratum scriptorum, ut quam sit persimilis syntaxis nostra Latinae syntaxi pateat. Sic Granatensis: «*A todas las lumbreras del cielo haré que se entristezcan.*»<sup>(6)</sup> Ludovicus a Ponte seu de la Puente: «*Hazme que oya tu voz divina.*»<sup>(7)</sup>

Ex locis igitur Terentii et Ciceronis in medium prolatis fit illustre posse *quod orationis pro Archia* haberi tamquam attractum a verbo *sentio* ex obliqua interrogatione *quam sit exiguum*, eodem pacto quo v. c. subjectum orationis secundariae *qualis et quanta sit vis* transfertur ad *cognoscamus: vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus.* Itaque certum est omnino posse *quod* Tullianum existimari tralatum ex altera in alteram orationem. At vero mihi videtur non solum posse tralatum haberi, sed etiam tralatum habendum esse, sive, *quod* idem est, a M. Tullio esse tralatum, idque ob verbi *sentio* vicinitatem, ex qua oritur intime ut hae duae voces, *quod sentio*, conjungantur in unamque orationem coalescant, ut videmus in eo Ciceronis exemplo: *Nosti Marcellum... et Servius; ubi Marcellum usurpavit, quoniam arte cum nosti conectitur, Servius dixit, propterea quia hoc loco positum et a verbo separatum aures minime obtundat; quod contra eveniret, si diceretur nosti Marcellus quam tardus cet.* Atque haec mutatio casus habetur etiam—res nota est—in attractione antecedentis ad orationem relativam; quae mutatio mutato verborum ordini tantummodo debetur, v. g. *Mons quem ceperant hostes aquosus erat, et Quem montem ceperant h. a. e.*

Sit igitur haec conclusio ex iis quae hactenus a me dicta sunt: posse sine ullo dubio in hac oratione, *Quod sentio quam sit exiguum*, credi *quod* in accusativo ab Romano oratore usurpatum esse: mihi autem videri non credi solum posse, sed posse etiam adfirmari. Quapropter sic breviter rem definire possumus: *quod* et accusativum esse verbi *sentio* et subjectum logicum verbi substantivi.

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

(1) Cf. **Llobera**, *Grammat. Classicae Latinitatis*, n. 469, X, et *Gramática de la Lengua Clásica Latina*, n. 482, IX.—(2) Terent. *Eun.* 5, 98, 5 (1035).—(3) Cic. *de Invent.* 2, 57, 170. —(4) Cic. *Tusc.* 1, 24, 66. —(5) *Ad Fam.* 8, 10, 3; *quod* ita vertit Petrus Simón Abril: «Ya tú conoces a M., cuán flemático es y cuán de pocos negocios (cuán poco activo), y a S. cuán amigo de dilatarlos». —(6) *Oración y Medit.*, juicio final, señales que; 3precederán. *Bibl. de Aut. Esp.*, 8, 44.—(7) *Medit.* 5, 26, 3, edit. Barcinonens., 1609, p. 433. Cf. Ter. *Haut.* 1, 1 2 (84): *Istuc, quicquid est, fac me ut sciam.*

## Commercium Epistulare

*Andreas Avenarius Societatis Verbi Divini,  
Em. Jovaeo Cordis Mariae Filio salutem.*

Vivat Deus unus et trinus in cordibus nostris. Hoc enim qui nostram Societatem condidit, litteris praefigi voluit, neque quidquam certe inveniri potest accommodatus his novi anni initiis, quae tibi totique Palaestrae familiae felicissima ominor precorque.

Pauca tuis litteris censueram respondenda et ita, ut ex digitis fluxissent meis; nil politum igitur, sed tamen quae intellegeres: maxime cum latine aliquid pangere coepi, mire sentio has «Ericae» meae litterarum tudiculas Germanicae potius, quam Latinae linguae dispositas esse, ut tardius hic, quam illic nascantur lineae.

Atqui putaveram Summum Pontificem vere in litteris ad Dubois Cardinalem datis dixisse se desiderare, ut omnes orbis antistites suis clericis in liturgia pronunciationem Italicanam praeciperent. (1) «La Croix», quam ephemeridem meus vicinus habet, satis apertis id verbis expresserat. Ipse perlegi, ipse in privato Dei cultu Italos imitari institui, neque deerant, qui sibi idem etiam publice faciendum putarent. Hollandii statim Italice pronuntiare coeperunt, et fuerunt inter patres nostros, qui eos sequendos dicerent, quoniam Steylensis domus, prima Societatis sedes, in Hollandia esset. Eodem tempore Borussi gymnasiis suis dederunt pronunciationem, quam tu historicam seu classicam nominasti. Neque defuerunt, qui hanc quoque in ecclesias inducerent, plurimis retinentibus consuetam ex temporibus Erasmi pronunciationem. Ne tamen nimia esset in hac re licentia, Germaniae episcopi in anno illo coetu Fuldensi praeceperunt in pronunciatione ecclesiastica a consueta non esse discedendum. Ergo nos tribus modis loquimur. Illa verba: «Tuque princeps militiae caelestis» in schola sunt: «Tukve prinkeps milithiai kailestis»; in ecclesia: «Tukve prinzeps milizie zelestis». Amici Italici oris dicunt: «Tuke printscheps militsie tschelestis» varietate mirifice delectante. Non est nimium difficile ex uno pronunciationi genere in aliud se contorquere; sed tu meam sententiam in hac re tuere videris. Magnum est toto orbe sic verba pronuntiari, quemadmodum Summus Jesu in terra Vicarius pronuntiat, cui, si hodie a nobis petierit, ut Italice proferamus verba liturgica, sine haesitatione nos quidem parebimus. Quamdiu nemo certo id praecipi ostenderit, in tralaticia pronunciatione manebimus praesertim cum Germani, id quod nemo ibit infitias, ut qui maxime ad antiquorum pronunciationem accedamus. Immo vero nos quidem paulatim etiam in eccliesia «kailum» dicemus; nam ridiculum erit nostris parvulis, eadem vocabula in schola «kvi fekit kailum et terram» pronuntiare, cum ministri ad altare venerint, repente proferre: «Qui fezit zelum et terram». Ut multis jam in rebus, sic etiam in hac, velimus nolimus, mutabimur cum temporibus. Vale.

Ex Aquis Driburgensisibus.

(1) Cfr. n. 3 p. 48.

# CURSUS GYMNASTICUS<sup>(1)</sup>

## CORYDON

Nec sum adeo informis; nuper me in litore vidi,  
cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnium  
judice te metuam, si numquam fallit imago.  
O tantum libeat tecum tibi sordida rura  
atque humiles habitare casas et figere cervos,  
haedorumque gregem viridi compellere hibisco!  
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.  
Pan primum calamos cera conjungere plures  
instituit, Pan curat oves oviumque magistros.

*Informis:* feo. — *Judice te:* especie de abl. absoluto de *sum*. — *Fallit:* supone que no. — *Ventis:* determinado por *placidum*. — *Si nunquam...* atenuación. — *Rus:* prado. Se pone en abl. como los nombres de ciudades. — *Sordidus:* despreciable. — *Figere:* herir. — *Casa:* choza. — *Compellere:* conducir. — *Hibisco:* dativo local poético. — *Pana:* acus. grecolatino. — *Cera:* abl. instrumental. — *Primum instituit:* fué el primero que... — *Ovium magister:* pastor.

Nec te paeniteat calamo trivisse labellum;  
haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?  
Est mihi disparibus septem compacta cicutis  
fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim  
et dixit moriens: «te nunc habet ista secundum».  
Dixit Damoetas, invidit stultus Amyntas.  
Praeterea duo nec tuta mihi valle reperti  
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;  
bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.  
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat;  
et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

*Paenitet:* éste como *piget*, *pudet*, *taedet*, *miseret*, pide en acus. lo que en castellano es sujeto. — *Terere:* lastimar. — *Calamo:* caramillo. Abl. instrumental. — *Amyntas:* pastor poco perito en la música. — *Eadem:* (no ipsa) por referirse a cosas de que se acaba de hablar. — *Est mihi:* construcción especial del verbo *sum*, significando tener. — *Cicuta:* caña. — *Disparibus...:* abl. de medio. — *Damoetas:* pastor muy versado en la música. — *Dare dono:* regalar. — *Secundum:* (posesseorem). — *Valle nec tuta:* relación de *ubi* sin prep. poético. — *Albo* (colore). — *Bini:* se aplica a objetos dobles. — *Jam pridem:* hace mucho tiempo. — *A me:* regido de *orat*. — *Sordent:* son tenidos en poco.


M. LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.

(*Sequemur*)

(1) Cfr. num. superiore.

## NOVA ET VETERA

### Latrunculorum ludus



Latrunculorum ludus, hispanice *ajedrez*, seu *escaques*, est nobilis inter duas personas ludendi ratio, quarum sexdecim scrupulos habet unaquaque in alveo, quattuor et sexaginta tessellis distincto, ad acie modum disponendos.

Hi autem scrupuli specie inter se differunt atque numero, hac nempe pro duabus partibus ratione: unus rex et una regina, duo moriones, duo equi, duae turres, octo pedites. Alterutrius lusoris scrupuli colore distinguuntur; et qui sunt diversae speciei per alveum aliter et aliter progrediuntur. Ille metam in hujuscemodi ludo contingit, qui, certis adversarii scrupulis aucupatis atque ceteris ligatis, campum ad usque regem rite custoditum aperit, eumque ad incitas tandem redigit.

### Vocabularium

1 Rey	<i>Rex</i>	5 Roque	<i>turris</i>
2 Reina	<i>regina</i>	6 Peón	<i>pedes</i>
3 Alfil	<i>morio</i>	7-8 Escaques	<i>tessellae</i>
4 Caballo	<i>equus</i>	9 Tablero	<i>alveus, fori</i>

Latrunculorum ludus antiquis erat quidem notus, quamquam ab hodierna ratione ludendi differebat. De eo Forcellinius: «Ludus valde similis ei, quem Itali dicunt *scacchi*. Triginta duo erant calculi bicolores, fere autem sexdecim albi, ac totidem nigri vel rubei: disponebantur in tabula lusoria hinc atque inde in duas turmas divisi, suisque regionibus lineisque conclusi, movebanturque multa arte, ne circumvenire alter alterum posset. Si qui calculis incomitatus a duo-

bus aliis circumveniretur, vinci dicebatur et capi; si duo simul contra leges ludi moti loco fuissent, capi quidem ab uno adversario non poterant sed ligari, hoc est, ita concludi, ut exire loco non amplius possent, fierentque lusori inutiles, dicebanturque calculi inciti, ex quo natum proverbium: «ad incitas redigi».

Omnibus aliis Romani praeferebant ludos circenses, utpote quibus suo ipsorum ingenio indulgerent. Attamen haud plures illis sociales ludi defuerunt, quorum in numero sunt: alea, talus, trochus, sphaeristerium... et praeprimis pila quae juxta magnitudinem et usum dicebatur: follis, harpastum, paganica, trigon... Ut nonnullos apud nostrates in usu ludos latine reddere queas, nomenclatura antiquioribus ludis aptatam tibi tandem propono.

### Ludi atque ludicra

Aro	<i>arculus</i>	Frontón	<i>sphaeristerium</i>
Asalto	<i>(castellorum) expugnatio</i>	Largo	<i>sphaeromachia</i>
Balompié	<i>pediludium</i>	Marro	<i>I. velitaris</i>
Balón	<i>follis</i>	Mallo	<i>malleus</i>
Billar	<i>I. tetricularis</i>	Morra (jugar a la)	<i>digitis micare</i>
Bochas	<i>I. globulorum</i>	Naipe	<i>lusoria (charta)</i>
Boche	<i>I. scrobiculorum</i>	Pares o nones	<i>par impar</i>
Bolos	<i>I. bacillorum</i>	Pelota	<i>pila</i>
Casilla	<i>tesella</i>	Peonza	<i>trochus</i>
Castro	<i>castrum</i>	Ple	<i>sphaeristerium</i>
Columpio	<i>oscillum</i>	Polo	<i>I. clavae</i>
Cubilete	<i>pyrgus, fritillus</i>	Raqueta	<i>reticulum</i>
Chito	<i>taxillus</i>	Taba	<i>talus</i>
Chueca	<i>I. clavulae</i>	Tala	<i>bolus</i>
Dado	<i>tessera</i>	Tejo	<i>discus</i>
Damas	<i>I. calculorum</i>	Trinquete	<i>coryceum, harpastum</i>
Domínó	<i>I. domini</i>	Zancos	<i>grallae</i>
Ficha	<i>scrupulus</i>		

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**Linguam Latinam scientia et usu habere perceptam non tam humanitatis et litterarum, quam Religionis interest.** (Pius Papa XI, Epist. Apost. «Officiorum omnium» aug. 1922).

## Conloquia in schola

### Duo proceres

#### ALEXANDER ET DIOGENES

- A. — *Ego sum Alexander rex.*  
 D. — *Atque ego Diogenes canis.*  
 A. — *Venio qui istam tuam vitam, quam cochleatim degis, honestiorem reddam.*  
*Quid rei postulas a me?*  
 D. — *Egone ut quidquam postulem? Nihil omnino; ut mihi ne sis umbraculo.*  
 A. — *Ditio mea..., est peradmirabilis.*  
 D. — *Ast ego nullam rem admiror.*  
 A. — *Facile mihi reddere te beatum.*  
 D. — *Scio equidem, dum solem ne impediás.*  
 A. — *Pecuniam tibi ingentem dabo, civitates, aulas regias.*  
 D. — *Quid aulas meo dolio grandiores cu-piam?*  
 A. — *Auro et serico distinctas tibi regias dabo trabeas.*  
 D. — *Nihil, nihil; apricat me bene haec la- cerata tunica.*  
 A. — *Meis in aulis dapes conquisitissimae eduntur.*  
 D. — *Sed ego me pane cibario expleo.*  
 A. — *Ego aureis scyphis bibo merum.*  
 D. — *Ego vola manus meae aquam epoto.*  
 A. — *Ego omnibus qui gemunt cum laude auxilio adsum.*  
 D. — *Laus criminis est tegumentum; crimen absque tegumento potentia nuncupatur.*  
 A. — *Ad nutum meum iratum sese terra prosternit, majestatem colit.*  
 D. — *Numquid es orbis compos qui tui non dum es?*  
 A. — *Tum hominum beatissimus ero, cum dominus totius orbis.*  
 D. — *Illud certo scio, quod postumum tuum somnum prima tua requies erit.*  
 A. — *Mundi leges meo arbitrio conduntur atque solvuntur.*  
 D. — *Adeone jactaris de injustitia?*  
 A. — *Vivam quidem perexosus, at non moriar inmemoratus.*

### Las dos grandes

#### ALEJANDRO Y DIÓGENES

- A. — Yo soy Alejandro el rey.  
 D. — Y yo Diógenes el can.  
 A. — Vengo a hacerte más honrada esa vida que llevas de caracol. ¿Quéquieres de mí?  
 D. — ¿Yo? Nada... que no me hagas sombra.  
 A. — Mi poder..., es asombroso.  
 D. — Pero a mí nadie me asombra.  
 A. — Yo puedo hacerte dichoso.  
 D. — Ya lo sé, no quitándome el sol.  
 A. — Yo te daré riquezas sin tasa, ciudades y palacios.  
 D. — ¿Para qué quiero palacios mayores que mi tonel?  
 A. — Te daré mantos reales de oro y seda.  
 D. — ¡Nada, nada! Me abriga lo suficiente esta capa remendada.  
 A. — En mis palacios se comen ricos manjares.  
 D. — Yo con pan duro me siento satisfecho.  
 A. — Yo bebo el vinillo en copas doradas.  
 D. — Yo bebo el agua en el cuenco de la mano.  
 A. — Yo acudo con gloria a socorrer a los que gemen.  
 D. — La gloria es la capa del crimen; el crimen sin capa se llama poder.  
 A. — Ante mi rostro airado se postra la tierra y me adora.  
 D. — ¿Eres tú el dueño del mundo y no puedes serlo de ti mismo?  
 A. — Cuando sea dueño de todo el mundo, seré el hombre más feliz.  
 D. — Yo sólo sé que tu último sueño será tu primer reposo.  
 A. — Las leyes del mundo se hacen y deshacen a mi arbitrio.  
 D. — ¿Tanto blasonas de injusto?  
 A. — Podré vivir aborrecido, pero no moriré olvidado.

- D.—*Atqui ego ignotus vivam; at nemo natus in morte oderit mea.*  
 A.—*Male tibi vertat! Nam stolidum tuum cinismum nequeo deflectere.*  
 D.—*Valebis! Quam ego felix, ni umbraculo sis!*  
 A.—*Stultissimis stultior.*  
 D.—*Stultissime!*
- D.—Pues yo viviré desconocido y en mi muerte nadie me odiará.  
 A.—¡Adiós! pues no puedo doblar tu cinismo estúpido,  
 D.—¡Adiós! ¡Cuán feliz seré, mientras nadie me haga sombra!  
 A.—¡Miserable!  
 D.—¡Miserable!

## Adnotationes rhetoricae<sup>(1)</sup>

### Tityrus

VERS. 59-66.—*Ante leves ergo pascentur in aequore cervi.* Priscis in editiōnibus legitur *in aethere*, de quibus P. La Cerdā: Libentius, ait, legerem *aequore* Videtur enim poēta maluisse opponere terras mari quam caelo. *Et freta constituent: Fretum:* synecdoche pro mari. —*Aut Ararim Parthus bibet.* Totum pro parte: synecdoche, —*Sitientes Afros.* Effectus pro causa: metonymia. —*Rapidum cretae veniemus Oaxen.* Exstat fluvius hujus nominis in Mesopotamia, eumque *rapidum cretae* vocari contendit Servius (quem a saeculo proxime elapso sequuntur omnes Vergili interpres) quod cretam secum rapiat, unde fit turbulentus. Cartault vero legere mavult: *rapidum Crete veniemus ad axem.* (2)

VERS. 67, ete. *En unquam patrios.* Horum trium versuum cogitatio admodum naturalis est. Semper exules comitatur spes in patrios tandem fines redeundi. Pleiae sunt hujusmodi exemplorum Sacrarum Scripturarum pagellae, —*Pauperis et regna venustam antithesim efficiunt.* —*Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* —Aristae communiter pro messibus, et messes pro annis usurpantur; quo sensu dixit Claudianus: *decimas emensus aristas.* Haec interpretatio non placet Patri La Cerdā: *Si enim, dicit, vix unquam et longo post tempore, quo modo post aristas, sive annos, sua rura revisurus est?* Alii conjiciunt *post aristas* eadem forma dictum esse, qua Ecl. II, 20: *Tu post carecta latebas,* et Horat.: (3) *Post equitem sedet atra cura,* et esse descriptionem agri Meliboei humili tugurio adjacentis, cuius tectum vix grandioribus aristis emineret. Et ideo inter eas sive post eas latere dici potest. Sic Germanus et Rueus. Sed hoc nimis puerile videtur. P. La Cerdā *post* non praepositionem sed adverbium esse adserit, ut sic se habeat sensus: «Numquamne, ne longo quidem post tempore dabitur hoc ut videam regna mea, pauculas deinde (vel post) aristas, id est ex florenti messe qualis antea erat, paucas et steriles

(1) Cfr. n. sup. p. 76.—(2) *Etude sur les Bucoliques.* ch. X. p. 334, note 2.—(3) *Odarum,* l. III, od. I, 40.

aristas superstites?» (1) Quam sententiam utpote magis consentaneam libenter amplectimur. Non desunt qui textum adulteratum esse censeant, sicque primaevum restituere conentur: *Pos (sessa e) t mea regna videns mirabor a (b) ist (i) s.* (2)

*Inpius haec*: indignatio. Epithetum *inpius* dicitur de bellis civibus, et hic militibus bella gerentibus adcomodatur. — *En quo discordia cives...* Epiphonema. — *Insere nunc...* Apostrophe ironica Meliboei ad se ipsum, qua indignatur se frustra laborem colendis agris et vitibus inpendisse. — *Ite, meae...* Meliboeus capellas sui infortunii participes facit. Eadem cogitatio iisdem fere verbis iterum producitur in Ecl. VII, 44: *Ite domum pasti... ite, juvenci*, et in Ecl. X: 77: *Ite domum, saturae, venit Hesperus, ite capellae*. Tenera est exclamatio: *Felix quondam pecus*. Vocabulum *pendere* aptissime his in adjunctis adhibetur. Mediocris poëta non incongrue quidem dixisset: *Non ego vos alta pascentes rupe videbo*. At Vergilius scaenam vividis coloribus depingens: *Non ego vos... dumosa pendere procul de rupe videbo*. Notatu etiam dignum est hemistichium: *Carmina nulla canam*, quod subito phrasim intercidit.

*Et jam summa procul...* Periphrasis seu locutio poëtica, qua noctis ostenditur instantia. Descriptio fumi de summis villarum culminibus ascendentis, umbrarumque altis de montibus descendantium, gratam in animo quietem relinquit et suavitatem.

H. MARTIJA. C. M. F.

## Dies Occiduus

*Vesper accedit comitus umbris;  
pensiles horti lacrimant amare  
marcidos flores, aviumque cantus  
tristia mussant.*

*Hesperus noctis referens tenebras  
fimbriis glaucis tremulus resulget;  
atque mortalis, relicente nocte,  
mystica sentit.*

*Ex plagiis surgunt Orientis atrae  
sive confusae tenebrae silenter,  
ambitus terrae tunicis opacis  
inlaqueantes.*

*Aura suspirans querulo susurro  
motat umbrosos frutices virecti,  
cujus incertus tenuisque rumor  
corda prehendit.*

*Sunt notae fractae, gemitus acerbi,  
ultimae vires et agonis angor,  
quae dies auferat obiens in umbris  
pectore fesso.*

*Cyntius deest, volucres recedunt;  
cur dies noctis jacet in sopore?...  
Heu! Dies laetus rigido voratur  
gulture mortis.*

J. M. Giral, C. M. F.

(1) Apud **Ruaeum**, *Vergili Opera*, ad vers. 69. Cfr. etiam **Minellum**, ed. Venetis. — (2) **Forbiger** *Comm.* in hunc locum; item **Heine** et **Ribbeck**,

# EXERCITATIONES SCHOLARES

## Censorinus Palaestritis suis

De perspicuitate quae prima est elegantiae regula diximus jam in numero superiore. Quam trademus alteram in scribendo regulam? Eam nempe quae clausulas tali lege conponit ut et in aures audientium incident gratae atque labris recitatoris non sint fastidiosae.

**Regula II.**—*Numerus in oratione.* Selectis jam verbis in clausulis et mente scriptoris omnino stabilita et clara, saepe continget ut vel labra in verbis pronuntiandis facile offendant vel si minus ingrato quodam tenore oris proferantur. Quae quidem non semel vitabis mutatis quibusdam verbis quae tantundem significatione valent, vel mutato eorum vocabulorum ordine quae prius inveneris, salva semper perspicuitate.

### Carolus Quintus

Carolus Quintus, visens quoddam coenobium in Germania, monachum vidisse dicitur habentem nigrum barbam, pilum omnino album. Interrogatus de causa rei tam mirae monachus respondit: Domine, capite magis quam dentibus operatus sum. Aliquot post menses legatus portendens nigrum caesariem, barbam autem candidam constituit se coram Caesare. Tunc Carolus monachi responsi memor dixit aulicis: En legatum qui dentibus magis quam capite operatus est.

V. CHARLE

*Ex IV Latinitatis cursu in Sem. Barbastrensi*

### Aedituus et Praetor

Aedituus accepit epistulam sine nomine scriptam, cuius auctor in illa ostendebat nescire litterarum elementa. Cumque Deum esse negasset, in optimatum dominantum saeviit, praeconiis imperium populare maximo animi ardore extulit, divitiasque signum averni praedicabat, pauperum esse adseruit praepotentes fortuna deponere. Quibus cogitationibus motus, domum praetoris aedituus petiit, ejus favorem supplicandi gratia ad depositionem optimatum pro-

sequendam. Sed praetor furore ductus aedituum asperis verbis increpuit, dicens: Fuge, fuge, piger aeditue, pigritia consumpt! Scito eum, qui tuum animum perturbantibus ideis imbuit, tui similem omnino esse. Unde audisti—responde quaeso—eos, qui tot laboribus atque industriis suam fortunam adepti sint, quorumdam clamore totam vitam in otio degentium, uno momento exui debere?

De exitu hujus modi eventus, historia silet.

Angelus MIRALDA

*Rethorices alumnus in Seminario Vicensi*

### Tonso Imperatoris Josephi

Quondam imperator Josephus cum comitatum suum in civitatem praevenisset, era hospitii num esset de cohorte imperatoris ab eo sciscitur. «Nequam», inquit princeps. Laconico tamen responso non contenta feminae curiositas quaesivit praetextum ingrediendi in cubiculum et videns eum barbam tondentem, num aliquo fungeretur apud Imperatorem munere interrogavit. Cui Rex: Etiam; interdum, ut nunc, barbam ejus tondeo.

Victorianus COSCULLUELA

*Ex Seminario Barbastrensi*

## P e r o r b e m

*Roma locuta est.* — Primum in Historiae fastis, Romani Pontificis vox per aëra, mirabile dictu! evolans, ad omnium fidelium toto terrarum orbe degentium aures et corda pervenit, simulque ab innumeris undique gentium audientibus avide percepta est.

Summus Pontifex die 12 Febr. IX Pontificalem anniversarium concelebrans, potentem radiophonicam stationem in Urbe Vaticana voluit inchoatam, qua vox Supremi Pastoris et sibilus ab universa Jesu Christi grege audirentur. Re quidem vera «in omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terrae verba ejus». Summus Pontifex populos nationesque ad pacem et ad agnoscendam Christi doctrinam invitavit; omnibus locutus est: universae hierarchiae, episcopatibus et missionibus et guberniis et populis, fidelibus infidelibus, pauperibus divitibus, operariis patronis. Non gens catholica solum sed et universus orbis nuntium Pontificium pia veneratione suscepit.

Notatu dignum est, Pontificem, cum primum cuncto Christi fidelium coetui paternos animi sensus expressit, Latinum sermonem, ejus hegemoniam agnoscentem adhibuisse. Faxit Deus ut quantocius Christi fideles, saltem cultiores, nullo vernacularum linguarum adminiculo, Pontificis dicta intellegant, quo fiet ut omnes terrarum gentes uno Latino idiomate conjuncti, una eademque fide et caritate copulentur!

### Responsorium

J. F. Vereor ne studio probandi illud: «in pervius sermo ejus (PALAESTRAE) evadit exteris gentibus, quae Hispanicam linguam non calleant» adductus fueris ut in ALMA ROMA plus quam par esset offunderes verborum. Nonnulla igitur de verbis, quae novitatis incusas, describam.

Adposite ipse, quod erat concedendum, concessisti: «quae a Graeco fonte nempe manant, praesertim si apud hodiernos sermones inventa, latine identidem juxta vetus tritumque praeceptum exprimantur». Num vero oblivioni dedisti et plurimas esse in disciplinarum provinciis voces, easque Latino fonte manantes, quibus idem omnino praeceptum faveat? Eas inter adnumerato *ocular*, *objetivo*, *piñón*, quae, te forsitan ignaro, praeterquam in Hispanica, sunt etiam in aliis Europaeis linguis adhibitae. Sic pro *ocular*: gallice *oculaire*, italice, lu-

sitane, catalaunice *ocular*, anglice *ocular* (eye-glass), germanice *okular* (Augenglas). Pro *objetivo*: gallice *objectif*, italice *obiettivo*, anglice *objective*, germanice *objektiv*, lusitane *objectivo*. Pro *piñón*: gallice et anglice *pignon*, italice *pignone*, lusitane *pinhao*. Quae cum ita sint, egone, qui *ocularium*, *objectivum*, an potius tu novatorem egisti, qui *speculatorium* et *lenticulam* invixeris? Nec ideo dumtaxat est inpugnanda vox *pinnula* (vocis *piñón* etymologica versio,) quod in lingua Plinii et Columellae longe aliud sonet; ne alia exempla adducam, animo illud adverte quod *pinnula*: *pinna* (merlo) = *lenticula*: lens (lentechia)... De inventione *pinnae* in vernacula eloqua confer Du Gange.

Oleum perdidì in inquirendo utrum *catinus*, an *patina* esset vas profundius; *orbiculus* hoc capite praestat, sed tamen proposito minus quadrare censeo. De

*tornello*, nihil est aliud quam diminutum *torni*; quis autem prohibeat diminutiva regularia fingere? Quod si de *rechamo* nihil aestimas dubitandum (neque ego dubitaveram), alii, mihi crede, non dubitare non valeant.

**F. A. M.** *Int.* Vehementer velim mihi methodum quae apud vos viget lingua Latinam alumnos edocendi expinas.

**Resp.** Facile intelleges non semper quae volumus ea nos facere posse, oboedientiae enim vinculis sumus constricti. Ordo tamen noster studiorum generalis, de quo nos interrogas, quinque Latinitatis cursus complectitur. In tribus primis denis horis hebdomadalibus grammaticae praecipue vacamus Fernández nostrae Congregationis socii; in duobus sequentibus, quinque horis hebdomadalibus in Stilisticam magis incumbimus. Nullum adhuc textum habebamus, sed quae erant notanda tradebat ore praceptor, qui quasi fontem adhibebat «Syntax und Stilistik der Lateinischen Sprache (Menge). Recens prodiit apud Hispanos opusculum «Stilistica Latina» auctore P. Granero S. J., cuius recensionem in hoc ipso PALAESTRAE LATINAЕ numero legere poteris. Nihil tamen adeo curamus quam ut alumni in vertendis classicis continenter exerceantur ad hunc fere modum:

*In Cursu primo:* Post Grammaticae rudimenta vertuntur *a) Epitome Historiae Sacrae* (Lhomond), *b) Phaedri Fabulae.*

*In Cursu secundo:* *a) De viris inlustribus urbis Romae* (Lhomond), *b) De bello Callico*, *c) Selectae Ciceronis epistulae.*

*In Cursu tertio:* *a) De Senectute et de Amicitia* (Cic.), *b) De bello civili* (Caes.), *c) Historia Alexandri Magni* (Curt.), *d) De bello Catilinario* (Sallust.)

*In Cursu quarto:* *a) De mortibus persecutorum* (Lactant.), *b) De Oratore* (Cic.), *c) Eclogae* (Verg.) *d) De bello Ingurthino* (Sallust.). *e) Tristium libri V.* (Ovid.)

*In Cursu quinto:* *a) Orationes selectae* (Cic.), *b) Carmina selecta* (Horat.), *c) Ab urbe condita libri I, II, III,* *d) Metamorphoseos dilectus Siebelisianus* (Ovid.), *e) De arte poética* (Horat.), *f) Aeneidos libri I et II.*

Ad regulas grammaticales per scriptum exercendas, deficientibus Hispanis conlectionibus utimur «Italico corso pratico di lingua latina» (F. Curti-G. Podestá) V voluminibus in totidem annos, quae facile ad nostram linguam professores vertimus. Attamen ad stiligamicam etiam utimur in duabus postremis cursibus opusculis Gandino quae in nostram linguam feliciter verterunt Rdi. PP. Societatis Jesu «Colección de temas estilísticos». Ut gratior evadat pueris linguae Latinae exercitatio atque simul fructuosa, non semel conloquia memoriter ediscere alumnos eaque in schola repetere jubemus. Habet igitur fere quae apud nos in instituendis ad Latinitatem pueris aguntur. Quam dolendum tamen Hispanos adhuc propriis institutionibus atque aptis instrumentis carere. Die tamen speramus fore ut tantum malum decedat.

#### SENEX

#### Bibliographia

**J. M. GRANERO S. J. Stilistica Latina.** *Latinitatis observationes quas in discipulorum commodum collegit atque ordinavit in Portuensi ejusdem Societatis Collegio ille Humanitatis Magister. 1930.*

Plura sunt in hoc opere laudanda: primum quidem quod ea tradit ordine miro ac commodo, quae ultra grammaticam, deficientibus apud nos adhuc libris, pauci magistri docebant; deinde quod plures notet dicendi rationes ab nostro Hispanorum sermone satis diversas, quibus tamen lingua Latina sale et gratia maxime conspergit; tum etiam quod eo opere ad composite ornateque scribendum in lingua Latina, ii animos recipient, qui nimio timore angere se non patiuntur. Id autem timoris animis de-

missis facile excutiat auctor via illa abstractionis quam sequitur in capite primo *De verbis seligendis* (Pag. 7-15), quod minus probamus, idque Ludovici Vivis atque Erasmi testimoniis subfulti: «Unusquisque, inquit Vives (*De dis. c. art. I. 2.*), quo diligentior videatur aeraria (linguae Latinae) praefectus, aliquid repudiat, nemo infert; ideo sermonis inopia cottidie laboramus.» Erasmus (*Ciceronianus*, ad finem) autem: «Ab istis vero velut a peste cavendum, qui clamitant esse nefas uti voce quae non reperiatur in libris Tullianis.» At non sunt Latina, nedum Ciceroniana *disparuit* (Pag. 9, II.) (pro *desit* ese.), *praesupponitur* (Pag. 86. 2.) (pro *ponitur*): etiam ac *tamen non est* (Pag. 9, 14.) habet auctor, pro *neque tamen est*, a quo certo abstinuisse si Hermann Menge (*Repet. des lat. Synt. und Stil.* n. 513) consuluisset. Haec et hujus modi nonnulla nihil sunt in opusculo quod aliunde omnibus magistris Latinitatis ut utilissimum maxime commendamus.

Em. Jové, C. M. F.

**Ign. Errandonea S. J.** Sófocles-Edipo Rey y Edipo en Colono. Traducción castellana y notas. *Biblioteca de Clásicos Griegos y Latinos* Tomo I Madrid Ed. Voluntad, S. A. 1930.

Accepimus tandem ex libraria Matriensi «Editorial Voluntad» vol. I *Bibliotheca Lat. et Graec. scriptorum* quam illa domus nuper edendam suscepit.

Quod ad praesens volumen attinet duas complectitur Sophoclis tragedias «Oedipum Regem et Oedipum Coloneum» quas ita perlegendas adripuimus tanquam diuturnam sitim explore cuperemus. Ejus Hispanica ita fluit oratio, ita vividus dialogus, ita perspicuis obscura quaeque inlustrantur notis, ut gratissima evadat tragediarum lectio animumque non delectet modo, sed et trahat et moveat vehementer.

Illud autem maximo est in pretio, nostra quidem sententia, quod clarissime mentem Sophocleam et Oedipi Regis quasi philosophiam interpretatur, nec

non in partibus quas obit chorus. Quibus in rebus P. Errandonea et originalitate pollet et peritia maxima.

Qui alte vero sapiunt hispane, purius quidquam, per paucis sane locis, fortasse requisierint, ut illud Oedipi ad filiam: *«sentias mi vacío?»* (p. 107.) quod ad veterum Hispanicum sermonem aptius vertendum erat: *«sentias soledad de mi?»* (Cfr. «Religión y Cultura,» 19-VII-1929, p. 105, ubi P. Llobera praeclare et luculentissime disserit.)

Sed hoc et hujus modi alia, minutissima sunt in tam egregio opere. De textu Graeco nihil dicimus; eo quod ad nos Hispanicum tantum accesserit exemplar.

Daniel RUIZ, C. M. F.

**Alois Walde;** *Lateinisches etymologisches Wörterbuch* dritte neu bearbeitete Auflage von J. B. Hofmann. I, u. 2 Lieferung. Heidelberg, 1930. Carl. Winters Universitätsbuchhandlung: M. I. 50 die Lieferung.

Tertium jam prelo subierunt duo priores fasciculi dictionarii Waldensis, quod id nominis in provincia Linguistica obtinuit. Nos vocabulorum historiam libenter dicimus—eorum scilicet quae ab articulo *a* decurrent ad *capitum*. Ea in illis fasciculis scite comprehenduntur ut nihil omnino desit, quod ad vocabulum, uti tale, spectet. Latinorum ibi vocum filatio, comparatio cum linguis Indoeuropeis, magna eruditio copia. Articuli, cum plurimum, luculentiores, interdum vocabuli monographiae evadunt; facilius, abundantiam quam penuriam quis possit reprehendere.

Em. Jové, C. M. F.

#### INPRIMI POTEST.

**Nicolaus García, C. M. F.**  
Sup. Gralís.

#### NIHIL OBSTAT

**Clemens Ramos, C. M. F.**  
Censor

#### INPRIMATUR

**Valentinus, Episc.**

**Typographia F. Camps Calmet. — Tarregae**

- Laurand, L.** Manuel des Etudes Grecques et Latines.—IX-1208 pag.—T. I: Grèce; br. 25 fr., car. 37 fr.—T. II: Rome; br. 25 fr., car. 37 fr.—T. III: Complément, Atlas, Tables; br. 45 fr.—Auguste Picard, 82 Bonaparte. Paris.—1929-30.
- Berthaut, H. et Georgin, Ch.** Histoire illustrée de la Litterature Latine. 2.<sup>ème</sup> éd. VIII -498 pag.—Libr. A. Hatier, 8 rue d'Assas Vle —1926.
- Schenk, D.** Flavius Vegetius Renatus. Die Quellen der Epitoma Rei Militaris.—VIII-88 S.—Dieterich'sche Verlagsbuchh., Leipzig.—1930.
- Burckhardt, J.** Die Zeit Konstantins des Grossen.—Fünfte Aufl.—Vorwort v. E. Hohl. 505 S. u. 27 Abbild.—Alfred Kröner Verlag, Leipzig.—Pr. in Lein. 3'5 M.; Geschenkausg.: in Lein. 5 M., in Led. 12 M.
- Burckhardt, J.** Die Kultur der Renaissance in Italien.—546 S. u. 24 Abbild.—Alfred Kröner Verlag, Leipzig.—Pr. in Lein. 2'75 M.; Geschenkausg.: in Lein. 5 M., in Led. 12 M.
- Pagot, Ch.** Le Latin par la Joie. Grammaire-exercices-textes. Les 4 cours de l'Université des Annales intégralement et simultanément. Le cahier: n.<sup>os</sup> 1 à 20, 3'75 fr.; n.<sup>os</sup> 21 à 30, 6 fr. Les 30 cahiers: France, 120 fr.; Etranger, 130 fr.
- Papini, J.** San Agustín. Trad. por M. A. Ramos de Zárraga.—366 págs.—Editorial Voluntad, Madrid.—1930.
- Menéndez Pidal, R.** Orígenes del Español. Estado lingüístico de la Península ibérica hasta el s. XI.—2.<sup>a</sup> ed.; t. 1.<sup>º</sup>: XII-591 págs. en 4.<sup>º</sup>, 18 mapas y 4 facsímiles. Precio 35 pts.—Almagro 26, Madrid.

## Curación Externa del Dolor

### Lápiz Termosán

Suprime rápidamente el dolor o la congestión, atacando la inflamación. Se presenta en forma de una barrita de facilísimo empleo. Olor agradable. Se aplica tal cual se presenta, sin tener que hacer ninguna preparación previa.

Se vende en las principales Farmacias al precio de ptas. 4'25 el tubo. Remitiendo su importe en sellos correo o giro postal, se manda certificado, dirigiéndose al Depósito General: Ramón Sala, calle París, 174 - Barcelona.



# CANDIDATUS LATINUS

Internus ad Linguae Latinae  
Studium apud Scholasticos  
nostrates colendum Commentarius

Omnes "Candidati Latini" fasciculi qui ab ineunte anno 1928 usque ad 1930 privatim prodiere (12 vi-  
delicet fasciculi) pretio veneunt:

Soluti. . . . . 10 pesseturum  
In tela eleganter consuti. 12'50 "

Petitiones ad "Palaestrae Latinae" Administratorem

## NUMMARIA (BANCA) ARNÚS

Fundata an. 1846

Sedes centralis: Plaza de Cataluña, 23

BARCELONA

Omnia pertractantur quae propria sunt  
nummariae, bursae, collybi, valorum,  
faeneraticiae, girorum

*Sedes secundariae:* Ba-  
laguer, Berga, Figueras,  
Gerona, Granollers, Igua-  
lada, Lérida, Manresa,  
Mataró, Olot, Puigcerdá,  
Seo de Urgel, Solsona,  
Tárrega, Tremp, Vich.

*Actuariae* (Agencias):  
Agramunt, Artesa de Se-  
gre, Bañolas, Gironella,  
La Bisbal, Mollerusa, Po-  
bla de Segur, Pons, Porí-  
Bou. *Subactuaria:* Calaf.

SEDES CERVARIENSIS: Virgenes, 32. - Tel. 29

## "LA FIESTA SANTIFICADA"

Folium est parochialibus valde simile, instituens, amoenum, imaginibus  
conflustratum, quod singulis diebus Dominicis ac Festis de praceptio  
prodit. Subscriptionis pretia per annum

A 5 ad 100 exemplaria 1 pesseta in singulas series

Alia de pretio minuendo ad plura quam centum obtainenda exem-  
plaria querantur oportet ab:

Arz. P. Claret, 47-Barcelona : Avenida Siglo XX, 74-Zaragoza : Universidad de Cervera (Lérida)